LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF ILLINOIS

SCHOLIA IVVENALIANA

INEDITA.

COLLEGIT

GVILELMVS HOEHLER.

Wilhelmi Höhler

II.

ETTENHEMI.
TYPIS F. X. LEIBOLDI.
MDCCCXC.

1890· Progr.-Nr. 604.

Eo libello, quem proximo anno pensorum indici scholae Kenzingensis adieci, scholiorum in Iuuenalem nouorum delectum iuris publici feci, quae in libris deterioris recensionis inueniuntur. auctoris autem nominis codices illi quidem, ex quibus scholia illa descripsi, mentionem faciunt nullam, alii, ut duo Laurentiani et Vaticanus Vrbinas, de quibus infra pluribus agam, Cornuti grammatici nomen prae se ferunt. hic Cornutus quis fuerit, quo tempore uixerit, haud facile diiudicari potest.

O. Jahn quidem in proll. ad Persium p. 131 sic statuit et iudicat scholia et Persiana et Iuuenaliana indole inter se haud dissimilia ad eundem Cornutum esse referenda, qui non ita multo post tempora Caroli Calui uixerit. contra C. Fr. Hermann in commentatione sua de scholiorum ad Iuuenalem genere deteriore ut non repugnat, quominus commentum illud Cornuti nono saeculo tribuatur, ita Persii scholia a Carolingorum aequale aliena sexto p. Chr. n. saeculo esse conscripta contendit. Cornuti autem nomen scholiis Iuuenalianis non magis conuenire quam Persianis, nedum eandem utriusque farraginis originem fuisse prodat.

Mansi*) uero codice manuscripto a. 1452 exarato apud D. Martium ecclesiae Lucensis canonicum contineri dicit 'lecturam super satiras Iuuenalis Aquinatis ex Cornuti commentariis copiosissime editam', qui commentarius indolem redoleat scriptoris non sane docti et ad genium scriptoris saeculi XIII. uel XIV. quam sententiam secutus H. Liebl**) in libello, qui est de distichis Cornuti et Cornuto scholiasta, insuper commotus eo loco, quem Hauréau e codice Parisino no 8207 excerpsit, Cornutum distichorum auctorem eundem esse putat cum Cornuto scholiasta iuniore, qui saeculo XIII. uixerit et scholiis uetustioribus usus noua composuerit.

Cui tamen iudicio aduersatur, quod ii ipsi libri, qui scholiastae nullam dant significationem, saec. X et XI scripti cum scholiis Cornuti nomine ornatis maxima ex parte consentiunt. quare fieri non potest, quin de tempore, quo scholiorum nouorum quasi fundamenta sint posita, O. Jahnio assentiar, sed tamen cum eo, quod ut aetate media Donati nomen cuilibet libro grammatico, simillime his scholiis praefixum esse censeo Cornuti.

---

*) Fabricius, biblioth. lat. med. et inf. aet. Patau. 1754. tom I p. 430. cf. H. Liebl, Die Disticha Cornuti u. der Scholiast Cornutus. Straubing 1888. p. 46.

**) l. c. p. 47 sq.

Illud autem pro certo dicere licet scholiorum nouorum auctorem hominem christianum fuisse eundemque neque Romae neque omnino in Italia sedem habuisse. sic enim adnotat ad sat. 6,150: *uites dicit, quae in monte Falerno Campaniae ulmis aliisque arboribus sustentantur. non enim in Italia uineae ad terram iacent.* et ad vocem 'cryptam' sat. 5,106: *quia ferunt Romam cryptas habere subterraneas, ut quot homines supra, tot capiat infra.* 10,136: *captiui enim et trophaea et cetera omnia in arcu pingebantur, ut nunc etiam cernere possumus Romae in arcu Constantini et ceterorum. Tibur uero ciuitatem Tusciae fuisse* (3,192) dicit, *Praeneste ciuitatem iuxta Romam sitam* (3,190). hominem christianum eum fuisse ex compluribus locis colligere possumus: *Flauius ultimus. ultimus ideo, quia primus Flauius fuerat Neronis primus filius, qui Claudius dictus est de nepte Iulia, qui Petrum occidit et Paulum* (4,37): *scimus autem post Christi aduentum cessasse Apollinis oracula et ceterorum simul* (6,555).

In testimonium uero adhibentur non solum scriptores classici qui uocantur, ut Homerus, Cicero, Suetonius, Terentius, Horatius, Vergilius, Ouidius, Martialis, sed etiam libri sacri, ut pentateuchus — exodus (1,141) et deuteronomium (3,32) — et scriptores ecclesiastici aliique aetatis mediae auctores: Ambrosius, Hieronymus, Sedulius, Isidorus Hispalensis, Seruius Honoratus, Hyginus, Vegetius Renatus, Paulus Orosius, uita S. Germani (1,78), quam Heiricus, monachus ille doctissimus Autissiodorensis, nono sæculo conscripsit. apud Cornutum non laudantur Salomon ecclesiastes (in cod. A ad sat. 13,104), Ieremiæ threni (in cod. A ad 13,22), Lucae euangelium, Sallustius, Lucanus, Solinus, Augustinus, Martianus Capella, Dionysius Cato, Boetius, Alcuinus, uita SS. Patrum, e quibus omnibus in ceteris libris haud pauci afferuntur loci.

Inueniuntur Cornuti scholia addito auctoris nomine, ut supra dixi, in codice Laurentiano plut. 52,4, quem O. Jahn inspexit et ipse in bibliotheca uniuersitatis Friburgensis descripsi. liber est membranaceus in 8° saec. XV foliorum 178, una manu ab initio ad finem continua serie nitidissime pictis initialibus scriptus. tegumento aduerso titulum lamella cornea tectum inscriptum videmus: *Expositio Satyrarum d. Iuuenalis incerti auth.* in fol. 1^{r} legitur inscriptio: *Cornuti prefacio in Iuuenalis s.* haec praefatio incipit: *Hunius Iuuenalis aquinas i. de aquino oppido oriundus extitit.* et desinit fol. 3^{r}: *Nunc ad licteram accedamus. semper et c.* reliquum spatium fol. 3^{r} et folium 3^{v} uacuum est relictum. inde a fol. 4^{r} usque ad fol. 133^{r} exstat expositio, quae his uerbis incipit: *Semper: bene sic ipse poeta a redargurtione poetarum scribere incipit: cum per hoc ostendat, quod nulli parcere debeat: et sciendum est, quod mos est satyricis, ut ab indignatione incipiant.* desinit*): *Venter indulsit non omne legumen cum ab omnibus animantibus abstinent, a faba etiam abstinuit propter gurguliones, quos generat. Finis.* deinde colore rubro scripta leguntur haec: *Explicit expositio Cornuti super toto libro Iuuenalis. Deo gratias. Amen.*

Sequitur uita Persii fol. 133^{v}—134^{v}: *Aulus persius flaccus natus est pridie nonas decembrium fabio persio L utellio consulibus. Decessit autem octauo Kl decembrium. Rubio mario asino: galloque consulibus. Natus in etruria uolaterris: eques romanus fuit.* dein commentarius usque ad fol. 178: *Nec fonte labra prolui caballino. quod hesiodus dicit. Dicitur enim pegasus errando ad eliconem peruenisse.* extremo codice leguntur haec: *Finis. Hunc librum scripsit Bastianus Pistoriensis.*

Cum hoc codice consentit Laurentianus plut. 53,23 chart. in 8° saec. XV fol. 217, qui continet *'Cornuti commentum in Iuuenalem et Persium'* inde a pag. 1 usque ad pag. 200. in fine ad-

---

*) sat. XVI 'De castrensibus ad Gallum scribit' antecedit saturam XV de religionibus Aegypti.

ditum est: *Expositio: Cornuti: Super toto libro Iuuenalis: Deo gratias: Amen.* scholia in Iuuenalem excipiunt Persii uita et commentarius. in fine scriptum est: *hunc librum transcripsit ſrancischus filippi pancratii de oricellariis: Die secunda ianuarii 1463.*

Ad quos libros accedit codex Vaticanus Vrbinas no 664 membr. in 8° fol. 168 saec. XV continua serie diligentissime scriptus. in folio primo numero non signato legitur: *In hoc codice continetur commentum in Iunium Iuuenalem et Persium Volaterranum.* in fol. 1r inscriptio: *Cornuti grammatici commentum in satyras Iuuenalim.* sequitur eadem uita et disputatio, quae in codd. Laur. fol. 3r incipit commentarius: *Expositio Cornuti super libros Iunii Iuuenalis et Persii Volaterrani incipit foeliciter. Semper. Bene. Sic. ipse poeta a redargutione poetarum scribere incipit.* fol. 126r: *Venter indulsit non omne legumen. cum ab omnibus animantibus abstinent a ſaba etiam abstinuit propter gurguliones quos generat. finit expositio Cornuti super toto libro Iuuenalis.* fol. 126u— fol. 128r: *Incipit uita Persii Volaterrani.* des.: *et quod plena sit conuitiis et reprehensionibus hominum.* commentarius Persii incipit in folio 128r lin. 3. *Expositio Cornuti super satyris Persii incipit feliciter. nec fonte labra prolui caballino quod hesiodus dicit.* des. in fol. 168: *inuentus crysippe tui seruator agelli. hoc dicit. sicut non potest inueniri diffinitio syllogismi crysippe ita non potest inueniri qui possit ponere finem cupiditati auari. crysippus stoicus philosophus fuit qui sillogismum quendam qui siroten dicebatur adinuenit quem per additionem et detractionem acerui ſrumentarii habere similitudinem ostendit: ergo poeta hoc dicit: quantacunque abundantia auaro crescat substantiae: non satiatur et sic infinitam cupiditatem suam extendit: ut qui eius auaritiae finem uoluerit ponere facile uideatur etiam sillogismum crysippi definire. Finis.*

Cornuti præfatio in Iuuenalis satyras.*)

Iunius Iuuenalis Aquinas i. de Aquino oppido oriundus extitit. qui ad mediam fere aetatem satyrice declamauit et in Paridem pantomimum apud aulam imperatoris Domitiani sese in deliciis habentem quosdam uersus non absurde composuit, hos s.:

quod non dant proceres, dabit histrio. tu Camerinos
tu Bareas, tu nobilium magna atria curas.
praefectos Pelopea facit, Philomena tribunos.

Paris iste carmina inrecitata emebat et suum titulum apponebat et pro suis recitabat. hi uersus per aliquantum temporis aures imperatoris latuerunt. sed postea cum hoc opus aggrederetur Iuuenalis, occasione accepta in quadam satyra, hac s. 'Et spes et ratio' satis competenter eosdem uersus interseruit, quibus publicatis Domitianus sua tempora sentiens denotari pudore et ira correptus, et qualiter Iuuenalem deprimeret, apud se excogitauit. sed cum tantae auctoritatis uirum publice punire non auderet, militibus Romanis extremas partes Aegypti tendentibus in expeditionem quasi sub obtentu honoris et dignitatis simulatione illum praefecit, ut si aliquo modo deperiret, sub specie dilectionis animi malignitas compleretur. Iuuenalis uero hoc opus primum peregit, unde in ultima satyra multa de militaribus commodis scripsit, ut sic in exercitum ituros animaret, deinde hoc opere completo eo profectus, tandem causa profectionis comperta taedio et angore uitam finiuit.

Et haec de illius uita ad praesens sufficiant. nunc ad ea, quae circa hunc librum sunt, inquirenda accedamus, haec s. quae sit causa compositionis operis, quae materia, quae intentio, quae utilitas, cui parti philosophiae supponatur, quis libri titulus.

Causa compositionis huius talis est. quia cum Iuuenalis iste tempore Domitiani imperatoris Romae studens ibi uideret uirtutes iacere et uitia dominari et nullum existere correptorem, animum suum ad scribendum hunc librum applicuit. materia est illa communis materia omnium satyricorum s. uitium reprehendere et uirtutem persuadere. uel intentio sua est similiter generalis et cunctis satyricis propria s. uitium reprehendere et uirtutes persuadere. sunt autem uariae intentiones per singulas distinctiones, quas satyras appellamus, et eas in locis suis exponemus. intentione uero

*) *Cornuti scholiis e codice Laur. 52,4 (L) excerptis scholia cod. Voss. (A) et Vindob. no 331 (C) et Sangallensis no 871 (S) adieci.*

suus sequatur finis, quia idem est, quod utilitas s. sordium depositio et uirtutum instructio, et quoniam in hoc libro de moribus agitur, ad ethicam spectat, quae tractat de moribus. titulus talis est: Iunii Iuuenalis satyrarum liber primus incipit.

Iunius nomen est auctoris, sicut et Iuuenalis. fuit enim binomius. bene dicit primus, quia sequitur secundus. sunt enim quinque, quia ubi est numerus, ibi est ordo. satyra enim est carmen reprehensorium et dicitur satyra a satura quadam lance deorum, quae in sacrificiis deorum diuersis ferculis referta super altare ponebatur, unde sacerdotes saturabantur. ad huius similitudinem dicitur satyra, quia referta est uitiorum reprehensionibus, quae uel bonis uiris placent, sicut fercula carnis saturabant sacerdotes. uel satyra dicitur a Satyris diis nemorum, propter quas proprietates tam satyrae quam Satyris convenientes. sunt etenim leues Satyri, nudi, dicaces, derisores, saltatores, capripedes. leues sunt Satyri i. natura ueloces utpote minime corpulenti. sic etiam satyra leuis est. nam grauibus uerbis non est ornata, sed uilibus et cotidianis utitur sermonibus. Satyri sunt nudi, nam officio uestis non indigent, siquidem terrena sunt numina nec nostros experiuntur casus. similiter et nuda est satyra. non enim inuolutis ambagibus, sed nudis et manifestis reprehensionibus uitiosos redarguit. item Satyri sunt diaces et garruli, toto namque die garriendo incedunt. sed satyra dicax est et garrula, quia neque pro muneribus uel minis blanditiis alicui parcit. derisores Satyri i. cachinnones. sic et satyra cachinno est, quia cum quodam risu reprehendit et tunc grauius mordet quam si fiso castigarit. Satyri sunt saltatores. nam quibusdam discursibus et lasciuia inter ioculatores saltando se rapiunt. ita et satyra saltatrix est, quia parum insistit materiae, sed de uitio ad uitium discurrit et bis uel ter in duobus uersibus materia eiusdem uariatur. Satyri dicundur capripedes i. caprinos pedes habentes. sic et satyra capripes dicitur, non quod caprinos pedes habeat, sed quia ad modum caprarum fetida est. obscenis etenim plena est sermonibus. itaque per has proprietates tam satyrae quam Satyris convenientes satyram a Satyris uolunt dici. dicunt alii, quod Satyrus est mordax, aliter infra quod tempus arbores edat et corrodat. inde dicunt satyram dici eo, quod ipsa super homines et eorum uitia uritur et corrodit, uel aliter alii dicunt, quod Satyrus est aliter quicquid uidet imitans. et hinc satyram dici putant, quae hominum diuersa uitia quasi imitantur reprehendendo. et notandum est, quod litterae conueniunt de satyra et satura. sunt enim eaedem praeter unam: satyra scribitur per y, satura per u et tamen conueniunt, quia y bifurcatum est sicut u.

Hac prima satyra Iuuenalis utitur pro prologo, in quo ostendit, quid velit scribere et quare velit, quia uexatus, et quid s. satyram, et quare magis satyram quam aliud genus carminis, causas assignauit diuersas et in hac etiam satyra reprehendit poetas de tribus s. scriptorum inutilitate, de peste iactantiae, de eorum multitudine, et callide poetarum reprehensionem praemittit, ideo s. ne uideretur eis in uitio consentire et ut alii super uitiis suis minime sibi ueniam sperent, cum nec illis, qui sunt sui ordinis et suae professionis, parcere uelit. uel satyra dicitur a quodam Liuio poeta satyro, primo satyrarum conditore, qui fuit denominatus Liuius a satyris i. de illo loco. ideo dicuntur satyrae ab eo Liuio primo conditore, ut hoc testatur in prima deca*) Liuii circa finem**). nunc ad litteram accedamus. semper et c.

---

*) *cf. Symplegas in schol. ad sat. 15,20.*

**) *Liu. 7, 2, 8.*

Satura XII.

Ad Coruinum de reditu Catulli poetae loquitur. *L*

1. **Natali, Corvine, die.** hac satira alloquitur Coruinum quendam et dicit solemnitatem celebraturum et diis hostias immolaturum pro reditu Catulli amici, qui cum propter quaedam negotia transmarinas partes petiisset, reuertens passus est naufragium proiectisque in mare omnibus uix nudus euasit. *LACS*

2. **caespes.** nautae tempestatem patientes uouebant diis munera et egressi a mari soluebant sua uota et casus suos in templis depingebant. est autem caespes terra cum propria herba euulsa. dicit autem aram, quae ex caespitibus fiebat. *LACS*

festus caespes i. sollemnis ara, quae ex caespite fiebat. est autem caespes herba cum terra auulsa. *AC*

3. **reginae** autem Iunoni dixit. *L*

4. **par vellus.** aequa agna. *L*

pugnanti Gorgone Maura i. Mineruae, quae pugnat in hostes induta galeam, in cuius apice est Gorgonis caput, quam Perseus auxilio eius superauit. Gorgones tres sorores fuerunt iuxta Atlantem Mauretaniae montem filiae Phorci. *L*

Gorgones tres fuerunt sorores iuxta Atlantem montem Mauritaniae, quarum caput gestat Minerua in galea, quod etiam Atlanti ostendens in montem eum conuertit. dicuntur autem Gorgones quasi Georgones id est terrae cultrices, quarum sunt nomina Stheno Euryale Medusa. *ACS*

5. **sed procul extensum.** Iunoni, inquit, et Minervae sacrabimus agnam, sed Ioui uitulum. non taurus Ioui sacrificatur. ideo commisit Aeneas in Thracia piaculum. *L*

Ioui uitulus, non taurus immolabatur. unde in Virgilio*) Aeneas dicitur piaculum commisisse, quando in Thracia Ioui taurum immolabat. *ACS*

6. **Tarpeio** id est Capitolino. nam Capitolium in monte situm est Tarpeio, qui dictus est Tarpeius a Tarpeia uirgine illic sepulta. *ACS*

coruscat. minatur ictum fronti uel dicit coruscat, quia in fronte immolandi tauri aurea imponebatur lamna. *LACS*

---

*) *Aen. 3,21.*

8. **spargendusque mero.** nam de inter cornibus tauri pili euellebantur et uinum ibi fundebatur, ut probaretur, utrum placeret, si patiens esset. Virgilius: 'frontique inuergit uina sacerdos'. *LAC*

ubera ducere i. lactare. *L*

9. **uexat.** lacessit. *L*

10. **si res ampla.** si, inquit, tanta esset mihi substantia, quanta esset uoluntas immolandi, non traherem tenerum uitulum, sed potius pinguissimum taurum immolarem. *LAC*

Virgilius*): 'irasci in cornua discit arboris obnixus trunco'. *A*

11. **Pulla** i. nigra uicta. *L*

12. **mole** i. magnitudine et pingui. *L*

finitima confinia nobis. laudat enim a loco pabuli et describit taurum, qualem solent immolare triumphantes Ioui s. album. nam Clitumnus fluuius est Spolentinus, de quo si bos, simulac conceperit, bibit, album parit. Virgilius**): 'hinc albi, Clitumne, greges.' *L*

Clitumnus fluuius est Spoletanus, de quo si statim ut conceperit, bos bibat, album parit. *AC*

14. **a grandi ministro.** quicunque sacerdos poterat uitulum recedere, solus autem summus pontifex magnum taurum feriebat. *AC*

15. **ob reditum trepidantis adhuc.** sacrificarem, inquit, taurum album ob reditum amici adhuc trepidantis propter memoriam periculi. *L*

18. **euasi.** participium praeteriti. *L*

19. **antemna** uocatur lignum in transuerso mali positum, per quod dependitur uelum. dicta aetemna quasi ante amnem. *LACS*

21. **attonitus** proprie dixit tonitru affectus. *L*

attonitus proprie dixit, quia a tonitruo attonitus dicitur. *AC*

nullum conferri posse putaret i. putaret suum ita magnum esse naufragium, cui nullum aliud comparari posset. *L*

22. **omnia fiunt talia.** poeta semper aliquid plus dicunt, quam ueritas habeat. unde dicit talia passus est tam grauiter, qualia solent poetae referre, quando tempestatem describunt. tempestatem, inquit, et absque antemnarum incendio. audi reliqua damna, quae passus est meus amicus, qui sua omnia in mare praecipitauit, et quamuis ista omnia ad unum periculum pertineant, tamen melius lucent et euidentius, si per singula referantur. *LACS*

25. **sint cetera sortis eiusdem.** quia etiam cetera naufragia sunt eiusdem generis eo, quod etiam in aliis naufragiis bona omnia perduntur. *L*

26. **pars dira quidem** s. amittere sua bona naufragio, sed tamen a multis cognita. *L*

27. **quod tabella uotiua** i. uota templis affixa tabella testantur. nam in tabella, quam diis uouerant, suos pingere casus iubebant pictoribus, qui inde sibi uictum comparabant, unde etiam sequitur

28. **pictores quis nescit ab Iside pasci.** quis, inquit, uestrum, o pictores, nescit pasci ab Iside. pasci i. a pictura, quam in templo Iouis super naufragorum tabellas pingitis. *L*

---

*) *Aen. 12,104 sq.*

**) *G. 2,146.*

uotinum est, quod ex uoto debetur, antiqui naufragi a mari egressi et uota soluentes casus suos in pinacibus et in templis illos suspendebant ob memoriam. *ACS*

28. **Iside.** Isis enim in forma uaccae mare transiit, unde eam nauigantes colunt eique uota faciunt, uel propter Aegyptios, apud quos Isis colitur, cum ipsi plurimum nauigent. *L*

Isis in similitudinem uaccae mare transiit, unde eam nauigantes colunt eique uota faciunt pictoresque pascunt, qui sua pericula in illius templo depingunt, uel hoc propter Aegyptios dicit, qui plurimum nauigant et Isidem colunt. *ACS*

30. **alueus** s. navis. *L*

32. **arboris incertae** i. mali concussi tempestate nimborum. *L*

prudentia cani rectoris. ars gubernatoris. cani autem uel senis et propterea periti, uel cani spumis undarum. *L*

33. **decidere iactu coepit cum uentis** i. coepit decernere cum uentis, hoc est certare iactu i. abiciendo onera e naui et leuiorem faciendo nauem. *L*

34. **castora.** animal, quod se ipsum castrat, cum eum uenatores propter testiculos insequntur. *L*

castor est animal, quod cum sciat se propter testiculos insequi a uenatoribus, abscidit eos et ad colligendos relinquit atque ita euadit. *S*

36. **medicatum.** medicinae aptum. *L*

37. **fundite** in pelagus s. pulcherrimas res s. uestem. *L*

39. **teneris Maecenatibus** i. mollibus uiris et delicatis. *L*

40. **atque alias.** tales, inquit, proiciebat uestes in mare, quae non erant tinctae hominum industria, sed in ipsis ouibus lana uarium acceperat colorem beneficio herbarum, quas comederant. *LACS*

nam Baetica pars citerioris Hispaniae, ubi densus est aer et pinguissimus, qui inficit pabula, quae cum oues pascuntur, in diuersos mutantur colores pro qualitate caeli habentque croceum colorem. *LACS*

44. **Parthenio factas.** laus ab artifice. *L*

urnae i. sextarii. *L*

capacem. tam magnum, inquit, cratera, ut ex eo Centaurus posset sitim suam extinguere et coniunx Fusci, quae mirifice bibebat. *L*

tam magnus, inquit, crater fuit, ut ex eo posset Centaurus sitim suam restringere et coniunx Fusci, quae erat bibulosa et meribibula. unde etiam latenter carpit eam. *CS*

46. **bascaudas.** genus uasis. *L*

escalia. uasa epularum. *L*

multum caelati. ordo: et adde cratera, quo callidus emptor caelati Olynthi biberat i. adde his omnibus cratera, ubi erant insculpti amores Olynthi et Lasthenis reginae. nam Olynthus Lasthenem reginam uitiauit. *L*

quo callidus s. cratere. nam superiori respondet. Olynthus corruptor fuit Lasthenis reginae. in illo, inquit, uase insculpti erant amores Olynthi et Lasthenis. *ACS*

47. **callidus** autem emptor, quia emptor crateris huius uilius emerat eum et pretiosius uenderat Catullo. *L*

48. **sed quis nunc alius.** quis, inquit, hoc alius faceret hoc tempore quam Catullus, ut plus se quam argentum amaret. carpit et auaritiam hominum. *LAC*

50. **non propter uitam.** non ideo uolunt acquirere patrimonium, ut diuitiis uiuant, sed ad hoc tantum uiuere uolunt, ut ditescant. *LAC*

52. **iactatur rerum utilium.** iactatur, inquit, a Catullo pars magna pretiosarum rerum. *L*

53. **leuant** tempestatem. *L*

damna i. bonorum amissio. *L*

tunc aduersis urgentibus. propter nimiam, inquit, tempestatem coactus est malum excidere, ut leuaretur nauis. *L*

54. **submitteret** i. excideret. *L*

reccidit dicit, quasi contra uoluntatem suam ad hoc impulsus est et perductus, ut arborem nauis incideret, quod tandem in ultima necessitate fieri solebat. *ACS*

55. **se explicat angustam** i. nudatur. *L*

discriminis ultima. se, inquit, nudat Catullus, quoniam ultima praesidia naufragii sunt, ut nauis efficiatur minor i. leuior proiectis oneribus et excisso malo. nauis enim minor uidetur malo carens et uacua. *L*

58. **dolato ligno** i. naui. *L*

digitis a morte remotus. mortem pelagus appellat. qui uero nauigant, tantum distant a pelago, quantum grossa est nauis. *L*

59. **taeda** autem genus est arboris leuissimae, qua naues fabricantur, unde taeda pro naue accipitur. *L*

taeda genus est ligni leuissimi, ex quo plerumque arbores nauium fiunt. quanto maior fuerit malus et maioris ponderis, quasi tanto pluribus digitis a morte sit ille remotus. *ACS*

60. **mox cum reticulis.** reticula uocat corbes, hoc est uasa uiminea uel mantelia, in quibus panis cum reliquo ferebatur uictu. post tempestatem, inquit, omnibus in mare proiectis nihil aliud de tuis rebus aspicis nisi panem et aquam dulcem cum securi, qua possit recidi nauis uel malus. *LACS*

lagenae. uentrem autem appellauit uas, quo dulcem secum portabant aquam. *L*

64. **Parcae** dicuntur fata a contrario, quod nulli parcant. quae in aduersitate nigra, in prosperitate candida fila trahere dicuntur. *ACS*

66. **lanificae.** lanificas autem Parcas appellat. *L*

nec multum fortior aura. uentus non multo fortior aura, quae est motio aeris etiam sereni. *L*

aura uocatur lenis motio aeris, quae in omni etiam serenitate fit. significat noctis tempore Catullum hanc pertulisse tempestatem, et orto sole serenitas facta est. *ACS*

67. **miserabilis arte cucurrit.** ordo: Catullus miserabilis arte nauigandi i. insueta sibi. cucurrit i. nauigauit. extensis uestibus i. sublatis extensis uestibus propriis loco uelorum. et prora cucurrit i. nauigauit. cum uelo suo i. artemone.

68. **quod unum** s. uelum superauerat a tempestate. artemon autem uocatur breue uelum, quod quia melius obleuari potest, in summo periculo ostenditur. illo ergo significat a mari fuisse egressos. *LACS*

70. **cum sole** i. serenitate uel certe cum die, ut tempore noctis periclitauerint. *L*

tunc gratus Iulo. ordo: tunc apex gratus Iulo conspicitur. Iulus enim dicitur reliquisse

Lauinum et condidisse Albam. sic uocata ab alba porca cum triginta porcellis inuenta, quam pro bono omine habuere Troiani. *L*

Lauinum dictum est oppidum Italiae a Lauino fratre Latini, quod Aeneas postea a Lauinia coniuge Lauinium uocauit, sed mortuo Aenea Ascanius filius eius timens nouercales insidias reliquit Lauinium et Albam condidit. propter quod nouercalem aedem eam appellat, iuxta quam ciuitatem dicit eos post tempestatem nauigasse. *ACS*

73. **mirabile sumen** i. mirabilis fecunditas triginta natorum s. Virgilius*): 'triginta capitum fetus enixa iacebat alba solo recubans albi circum ubera nati.' *L*

illa scrofa mirabile sumen fuit Phrygibus id est mirabilis fecunditas, quia XXX habuit fetus. Virgilius: [*ut supra*] laetis autem Phrygibus ideo dixit, quia tunc nouerunt se ad terram peruenisse fatalem. *ACS*

intrat s. Catullus. *L*

moles i. scopulos. *L*

76. **Tyrrhenamque pharon.** Pharos ciuitas est Aegypti, a qua et Pharaones dicti, quae habet naturalem portum, in quo est turris excelsa, ad cuius lumen nocte nauigantes festinant. ex qua iam excelsa in portubus loca ita uocantur. *LACS*

porrectaque bracchia. portum describit Tyrrhenum. *L*

Lucrinum portum describit et bene dicit rursus porrecta bracchia, quia primo Iulius illum extruxit, postea Traianus reaedificauit. *A*

rursus i. secundo. *L*

77. **pelago medio** i. ad medium pelagus. portus autem iste Lucrinus est. rursus autem porrecta bene dicit, quia illum primo Iulius exstruxit, deinde Traianus reaedificauit. *L*

78. **igitur.** quandoquidem portus mirabili aedificatione structus est. *L*

80. **interiora petit** i. sinisteriora. *L*

Baianæ peruiæ cymbæ. in eam, inquit, partem coepit nauigare, in quam Baianae naues solitae erant nauigare. *LAC*

81. **tunc stagnante sinu.** petit, inquit, stagnante sinu i. effuso et per agros sparso sinu maris i. aqua ex portu effusa, uel certe dicit, quod ea loca sunt peruia etiam Baianae naui quasi onustae. tunc cum sinus i. portus, stagnat i. crescit aquarum multitudine. *L*

81. **gaudent ubi.** in quo portu nautae sacrificantes et uota persoluentes raso de more capite gaudent narrare, quos euaserint casus. *L*

nautae ad portum uenientes ibi solebant uota sua soluere et caesariem capitis radere et casus suos aliis narrare. *AC*

83. **ite igitur, pueri.** alloquitur pueros suos, ut faueant incolumitati Catulli et dona ferant diis offerenda. *L*

fauete linguis i. et uerbis, non solum animo. *L*

linguis fauere est laudare, animis autem fauere est exsultare. dicit autem se sacrificaturum et sollemnia celebraturum pro eo, quod amicus eius saluus a mari egressus est. *ACS*

84. **cultris.** cultrum genus est patinae, quae in ministeriis templi adhibebatur, in qua far continebatur. *LACS*

---

*) *Aen. 3,391 sq.*

85. **ornate focos.** ture s. *L*

88. **parua simulacra nitentia cera.** cera ficta, non auro. *L*

89. **nostrum Iouem** domesticum. *L*

90. **omnes uiolae colores.** sunt enim purpureae, croceae et albae. *L*

omnes colores uiolae ideo dicit, quia sunt uiolae multorum colorum. sunt enim purpureae, sunt croceae. *ACS*

92. **et matutinis** ideo dixit, quia priuatis diebus nocte tantum, festis autem et interdiu lucernae ardebant. *LACS*

93. **nec suspecta tibi.** quod eius fieri uelim heres, propterea haec sacra incolumitate sua gaudens faciam. nam et liberos habet. *L*

95. **libet expectare.** pro patre, inquit, i. pro eo, qui habet filios, nemo immobat nec coturnicem, nedum gallinam. sed si quis orbus febre laborat, omnes pro eo immolant, ut sibi eius amicitiam comparent, qua possint fieri heredes. *L*

96. **claudentem oculos.** lippientem significat gallinam. *L*

97. **tam sterili.** tam inopi sicut est Catullus. *L*

tam inopi et pauperi sicut est Catullus, qui omnia sua per maris periculum amisit. *ACS*

98. **sentire calorem.** et si Pacius coepit a superiori. calorem autem febrem. *L*

pro patre, inquit, suo nemo saltem immolat coturnicem, sed si aliquis orbus febricitauerit, illi omnes dona largiuntur, ut possint eius captare hereditatem. *ACS*

99. **orbi** autem synthesis numerorum. ad utrumque enim refertur. *L*

100. **legitime fixis.** testamentales, inquit, chartae disponuntur in porticu diuitis orbi, cum morti uicinus fuerit. *LACS*

101. **qui promittant hecatomben.** promittentes, inquit, dicunt se sacrificaturos centum boues, quia non inueniuntur hic elephantes. sacrificarent enim eos, si inuenirentur. *L*

hecaton dicunt Graeci centum. hinc hecatomben dicimus donum multiplex. *ACS*

102. **quatenus.** i. quia. *L*

nec uenales elephanti. ideo, inquit, non promittunt elephantos se daturos, quia non inueniuntur in Italia. *AC*

104. **sed furua gente petita** i. a Mauris petuntur elephantes. ibi enim nascuntur. *L*

105. **Turni** autem ideo, ac si dicerit elephantes non nisi reges habere possunt ut Turnus, cuius ager in Rutulis etiam tum Turni dicebatur ager. *L*

Turnus rex fuit Rutulorum, cuius possessio adhuc uocatur ager Turni. in Rutulis, inquit, agris pascuntur camelorum armenta, sed non ea possident alii quam reges et imperatores, et ideo non illa promittunt captatores hereditatis. *ACS*

107. **priuato.** priuati dicuntur, qui absque negotio publicae dignitatis curam solius domus gerunt. ergo priuatum pro paupere dicit. *ACS.*

107. **siquidem Tyrio.** confirmat elephantes nutriri apud reges. Tyrio Africano. *L*

108. **regi Molosso** i. Pyrrho. Molossum uocat Pyrrhum, regem Epirotarum, qui Molossus dicitur a Molossia regione Pyrrhi, in qua imperauit. qui primus elephantos contra Romanos adduxit. *ACS*

109. **horum** elephantorum. *L*

111. **per Nouium.** per Histrum propria nomina uirorum. *L*

Hister Pacuuius binominus fuit. hi autem haruspices fuerunt et captatores. *C*

114. **tantis deis** i. diuitibus, quos deos appellat inuidiose. *L*

et captatoribus horum i. heredipetis horum diuitum. *L*

118. **imponet uittas** tanquam hostiis immolandis. *L*

uitulis immolandis redimiebantur uittis capita. unde dicit: immolaturus ancillas pro salute Gallittae imponet uittas earum frontibus. *AC*

119. **Iphigenia.** notum est, quia cum Graeci non possent nauigare propter ceruam Dianae ab Agamemnone interfectam, oblata est Dianae Iphigenia uirgo filia Agamemnonis. et cum in eo esset, ut immolaretur, miseratione Dianae latenter subducta est et cerua loco eius supposita. ponit ergo Iphigeniam pro quacunque uirgine adulta. *ACS*

120. **etsi non sperat.** etsi, inquit, non sperabit ceruam [sic latenter supponi pro filia, quemadmodum de Iphigenia tragici scripsere, tamen faciet hoc s. ut sacrificet filiam. *L*

furtiua piacula uocat ceruam, quae furto supposita est pro Iphigenia. tragicae autem ceruae dicit, de qua tragoediae scriptae sunt. *AC*

121. **laudo meum ciuem.** ironice. Agamemnon, inquit, pro salute classis totius uoluit immolare Iphigeniam, heredipeta autem pro testamento, quod multo maius hoc tempore habetur, et ideo laudo meum ciuem. *L*

Agamemnon pro salute infinitae multitudinis Graecorum immolare uoluit filiam, heredipeta pro solo testamento promerendo. unde ironice dixit: non comparo omnes naues Graecorum illi testamento, pro quo immolatur filia sicut et pro Graecis Iphigenia. *ACS*

122. **nam si Libitinam,** probat, quod plus est sacrare filiam pro diuite, quia si euaserit, efficietur heres suus. *L*

Libitina uocatur Venus a libendo. iuxta cuius templum erat cimiterium mortuorum. ponit ergo Libitinam pro ipsa morte uel pro cimiterio, quod erat iuxta templum eius. *ACS*

123. **inclusus** autem carcere Nassae dicit, quia medici in domibus suis diligenti custodia curabant aegros. Nassa enim proprium nomen est medici. *L*

Nassa erat proprium medici, qui infirmos in suis domunculis curabat. *AC*

124. **post meritum sane mirandum.** ita enim distinguitur: aeger delebit tabulas post meritum sane mirandum s. quod suam filiam ille sacrauerit. *L*

atque omnia soli. delebit, inquit, et sibi uni dabit omnia breuiter i. ut breuiter dicam. *L*

125. **ille s.** Pacuuius. *L*

126. **uictis riualibus** i. uictis ceteris heredipetis. *L*

127. **operae pretium** est proficuum et utile, unde dicitur operae pretium est dicere illud id est utile. *AC*

iugulata Mycenis i. puella iugulata et sacrata sicut Iphigenia. *L*

128. **uiuat Pacuuius, quaeso, uel Nestora totum** i. uiuat etiam omnem Nestoris aetatem. *L*

hic Pacuuis uidetur uxorem absentis Catulli corrupisse. unde uxore faciente Pacuuio Catulli cedet hereditas. *ACS*

Satura XV.

De religionibus Aegypti.*)

1. **Quis nescit, Volusi.** hac satira alloquitur quendam Volusium de superstitionibus Aegyptiorum, qui uaria portenta colebant, et ad ultimum memoratu dignum dicit hominem ab hominibus esse comestum. —

haec satira loquitur ad quendam Volusium nomine de superstitionibus Aegyptiorum, qui uaria portenta colebant, et ad ultimum dicit quiddam memorale sc. hominem ab hominibus esse comestum. *A*

Bithynice. de Bithynia.

2. **crocodilon.** crocodilus animal fluuiale est lacerto similis, sed ingens est atque fortissimum. quod dum mandit, superiorem maxillam tantummodo mouet. —

crocodilus animal est fluuiale, quod dum comedit, superiorem molam tantummodo mouet. *A*

crosodilon adorat. pars hæc. ita distinguitur.

3. **ibin.** ibis auis est, ciconia scilicet Aegyptiaca, quae serpentibus uescitur et rostro anum purgat. ibex ibicis est aliud genus quadrupedis. —

ibis auis est sc. Aegygtiaca ciconia, quae serpentibus uescitur et rostro anum purgat. ibex ibicis est aliud genus sc. quadrupedis. *A*

4. **Circophitici.** Phiticus mons est iuxta Thebas, Aegypti ciuitatem, in qua fuit statua Memnonis filii Aurorae regis Aethiopiae, ita arte quadam mechanica et magica composita, ut humana uoce regem et solem salutaret. postea rex Cambyses, uolens hanc rem cognoscere partem statuae abscidit, et sic postea solem, non etiam regem salutabat, unde etiam dicit 'dimidio Memnone'. —

Pheticus montis est nomen iuxta Thebas Aegypti ciuitatem positi, in quo fuit statua Memnonis *et cet.* *A*

6. **Thebe** ciuitas Aegypti maxima, quam Alexander diruit. cumque Thebanum quendam audisset suauiter canentem, interrogauit eum, de qua esset patria. cui ille 'utinam' inquit 'patriam haberem. tu uero eam subuertisti.' itaque Alexander eam reaedificari iussit. et nota 'uetus Thebe' singulariter dictum. Thebae autem Aegyptie, hecatompylae Graece uero. —

---

*) *de superstitionibus Aegyptiorum.* *A*

Thebe ciuitas fuit . . . . . cumque quendam Thebanum tibicinem audisset postea . . . . . qua de causa iussit eam Alexander reaedificari. et nota 'uetus Thebe' singulariter dictum, cum modo pluraliter semper efferantur. *A*

7. **cæruleos** s. pisces marinos. —

caerulei uocantur quidam pisces uel, ut alii dicunt, serpentes in Aegypto. ergo fixum est in hac significatione nomen hoc, quod est caeruleus. *A*

8. **canem.** in specie canis uenerantur Mercurium, qui Anubis dicitur.

nemo Dianam. ac si diceret: uenerantur omnes canem, sed Dianam, quae praeest canibus, non colunt.

9. **porum et caepe.** Aegyptii tot monstra colunt ob eam rem s. Pharaone cum toto exercitu obruto reliqui Aegyptii, qui domi retenti sunt, uitam suam suo quisque negotio attribuerunt idque pro numine habuerunt. qui enim agricultura eo die impediti sunt, bouem colere coeperunt qui oluscula plantauerunt, eadem quasi numina adorauerunt dicentes: 'tu mihi deus, qui me retinuisti, ne sequerer Pharaonem'. —

in uita sanctorum legitur patrum, quae causa sit, ut Aegyptii tam multiplici errore tot monstra colebant. cum enim Pharao Hebraeos persequens cum omni exercitu suo fluctibus fuisset inuolutus, reliqui Aegyptii, qui remanserant et non ierant cum Pharaone, ei rei suam uitam delegauerunt i. e. deputauerunt, propter quam contigit eos remanere. et qui arauerant illo die, bouem colere coeperunt, et qui oluscula plantauerant, eadem adorabant dicentes: 'tu mihi deus, quia me hic retinuisti, ne sequerer Pharaonem.' *A*

11. **lanatis animalibus** abstinent et re uera bouem quidem comedebant, non autem uaccam propter Isidem, quae in uaccam dicitur fuisse conuersa. —

dicit*) Aegyptios lanatis animalibus abstinere, et re uera bouem quidem comedebant, sed uaccam non propter Isidem, quae in uaccam dicitur fuisse conuersa. *A*

14. **tale facinus** comesti hominis, ut sociorum suorum a Cyclope et Laestrygonum immanitatis, qui carnibus humanis uesci dicuntur. haec enim Vlixes naufragus, qui**) ab Alcinoo Phaeacum rege hospitio susceptus tum est, apud eum in conuiuio narrabat. —

Vlixes cum a Troia in Graeciam uellet redire, multa passus pericula peruenit ad Alcinoum regem Phaeacum. cui cum retulisset de Cyclopibus, quod suos deuorasset socios, nullus ei credebat. unde dicit poeta: dicemus hominem ab hominibus esse comestum, quamuis Vlixi eadem dicenti olim nemo crediderit. *A*

15. **bilem.** iram s.

16. **aretalogus** iactator, qui se uirtute iactat.

aretalogus dicitur mendax artificiosus. ares [ἀρετή] enim dicitur uirtus, logos [λόγος] sermo, et Vlixis mendax fuit astutissimus. aretalogus ergo dicitur, qui uirtute mendaciorum alicui illudit et audientem decipit. *A*

in mare nemo. quasi dicat: abiciendus esset in mare iste Vlixes, qui dicat homines hominibus uesci potuisse.

17. **uera Charybdi.** non ficta, hoc est poetica.

---

*) dicit *deest in cod.*

**) qui *intexui.*

Charybdis mulier fuit omnium rerum deuoratrix, quam Hercules in mare praecipitauit, quod boues eius deuorauit. sed adhuc naturam suam reseruans omnia ad se trahit et deuorat. Laestrygones autem populi sunt Aetnae insulae. *A*

19. **Scyllam et concurrentia saxa Cyanes.** Scylla monstrum est marinum 'pube tenus uirgo, desinens in monstra diuersa.'

Scylla . . . . diuersa. potius, inquit, credibile est Scyllam esse et reliqua monstra, quae narras, quam Cyclopas homines comedisse. *A*

20. **Cyane.** locus in mari, ubi saxa collidebantur et propter dicebantur. haec uero post Argonautaram transitum immota steterunt. potius, inquit, crediderium ista fuisse, quam homines hominibus uesci potuisse. —

Cyanis uocatur locus in mari, ubi saxa per mare uagari dicuntur, quae Symplegas dicimus. saxa autem ponderosa sunt et naturaliter semper ima petunt et immobiliter permanent. dicit ergo: ante possum credere saxa uagari per mare, quam homines ab hominibus comestos. uerba sunt populi. *A*

22. **Elpenora** socium Vlixis in porcum a Circe conuersum.

23. **uacui capitis populum Phæaca** i. stultum putauit s. Vlixes.

24. **sic aliquis.** sic, inquit, credet aliquis nondum ebrius s. Scyllam potius fuisse atque Charybdim et c. quam humanas epulas. —

ebriis enim facile quaelibet falsitas persuadetur et eodem paene modo uel falsitatis uel ueritatis creduli sunt. *A*

25. **Corcyræa urna.** Corcyra enim est uini optimi ferax. —

Corcyra uocatur ciuitas uini ferax optimi, unde Corcyraea dicitur urna et Corcyraeum uinum. *A*

temetum merum.

26. **Ithacus.** Vlixes, inquit, talia dicebat, sed quia nullus erat suorum uerborum testis, non ei credebatur. sed nos eadem referemus et simul tempus, quando, et locum, quo facta sunt, non tacebimus. *A*

28. **Copti.** Coptus ciuitas est Aegypti, iuxta quam perpetratum est facinus comesti hominis, de quo scribit Iuuenalis hoc loco.

Coptus ciuitas Aegypti, iuxta quam perpetratum est facinus comesti hominis, quod est relaturus. *A*

29. **nos uulgi scelus.** subaudi feremus.

uulgi s. Aegypti.

et cunctis grauiora cothurnis. et referemus grauiora quam omnes tragici scripserunt. tragici enim cothurnis utuntur. —

cothurnum pro tragoedia. tragici autem referunt res sceleratas. grauiora autem dicit se relaturum, quam in tragoediis legantur, quia, licet idem scelus aliqui commiserint, ut Atreus et Thyestes, hoc tamen refertur specialiter de duobus aut tribus, et de multis hoc non legitur. istud autem commisit omnis simul populus, ideoque est grauius. *A*

30. **nam scelus.** nam nullus populus facit scelus ad comparationem istius sceleris, quod sum relaturus, etiamsi legeris omnia syrmata i. omnes longas scripturas tragoedorum s. uel syrmata matronarum uestes dicit. nam in tragoediis matronae dicuntur scelera plurima commisisse. —

syrma dicitur tragoedia uel etiam longaria i. longa sciptura. *A*

33. **simultas.** est odium et occasio inimicitiarum. hinc et insimulari dicimus. *A*

35. **Combos et Tentyra.** dicti sunt illi uicini finitimi et discordantes inter se. Combenses enim uolebant deos suos coli a Tentyris et Tentyrenses contra suos a Combensibus. erant ergo hinc inde inter eos simultates. —

dicti sunt . . . . . a Combensibus. hinc ergo erant simultates. *A*

38. **sed tempore festo.** sensus: cum alter istorum populorum solemnitatem celebraret, uisa est occasio alteri populo capienda, ut eorum solemnitatem disturbaret.

43. **peruigiliqae toro** s. posito, quia nocte et die celebrabant solemnitatem usque ad septem dies, unde 'septimus interea sol uenit.'

44. **horrida sane.** duo dicit horridam et luxuriosam fecisse Aegyptum, quae sunt contraria. sane per hoc, quod horrida et barbara erat, potuit proeliari crudeliter, per hoc autem, quod luxuriosa erat, potuit uinci leuiter a sociis. *A*

45. **sed luxuria, quantum ipse notaui.** quamuis, inquit, horrida sit belloque aptissima Aegyptiis, tamen illa pars Aegypti, quae barbara dicitur, quae est in ripis Nili fluminis insita, non cedit luxuria famoso Canopo. unde Canopum hic dicit luxuria famosum. sane propter hoc quod horrida et barbara erat, potuit proeliari crudeliter, per hoc quod luxuriosa erat, potuit uinci luxuria a sociis.

46. **barbara ripa.** barbaram ripam uocat Aegyptum, quae est in praeripiis Nili fluminis sita. Canopus autem est oppidum Aegypti luxuriosissimum, dictum a Canopo gubernatore Menelai illic sepulto. *A*

47. **de madidis** i. ebriis. nam cum in solemnitate et conuiuiis essent, potui operam dederant.

48. **blæsis.** blaesos*) appellant, qui crura exterius iactant ambulantes, rhaebos**) autem, qui interius.

inde uirorum. inde i. ex altera parte erant saltatus i. saltationes uirorum cum nigro tibicine i. qui erat de Aethiopia, et erant etiam unguenta qualiacunque i. non pretiosa, sed cuiusuis pretii utpote rusticanorum, et erant flores et multae coronae in fronte eorum, quibus omnibus demolitos uincere facile fuit.

49. **qualiacunque unguenta** i. non pretiosa, sed cuiuscunque generis. nam de uillanis et rusticis, non de urbanis loquitur. *A*

51. **hinc** s. ex altera parte eorum, qui impetum in praedictos fecerunt solemnibus conuiuiis et ludis intentos ferat genuinum odium i. naturale odium a gente sua dimissum contra illos.

iurgia conuicia. primo se conuiciis lacessere coeperunt.

53. **et uice teli saeuit nuba manus** i. pugnis se pulsare coeperunt loco telorum, cum esset manus nuda i. inermis.

59. **ludere se credunt.** quamuis, inquit, se acriter pulsarent, tamen ludus uidebatur eis, eo quod nemo occidebatur.

61. **sanaque.** a superiori. et credunt se ludere, quod tot milia iam rixantis turbae sint sana.

---

*) *βλαισός.*

**) *ῥαιβός.*

62. **si uiuunt omnes** i. quia uiuunt omnes nemine cadente.

63. **quaesita saxa** dicens ostendit pinguissimum humum Aegypti, quae non est saxosa. *A*

65. **qualis et Turnus.** Virgilius*) enim inducit Turnum tam magnum saxum iacientem super Aeneam, quod uix bis seni nostri temporis homines possent leuare. *A*

67. **dextrae.** dextram *συνεκδοχικῶς* pro toto homine posuit. *A*

68. **illis** s. dexteris Turni et Aiacis.

69. **genus hoc** s. heroum.

uiuo Homero, qui de illis scripsit.

cum, inquit, adhuc uiueret Homerus, iam decrescebant heroes, quorum gesta ipse descripsit. *A*

71. **aspexit** s. tales homines. a deuerticulo i. a digressione. fabula de Combensibus et Tentyrensibus.

72. **a deuerticulo.** deuerticulum dicitur locus, ad quem ab itinere deuertimus et secedimus. a deuerticulo ergo est ab eo loco, in quo a narratione deuertimus, repetatur sermo. et considera, quia, cum supra uera se dicturum promiserit, modo dicit fabulam. *A*

73. **subsidiis** s. telorum et gladiorum.

75. **terga fuga celeri.** ordo: illi, qui colunt Tentyra uicina umbrosae palmae, instant omnibus praestantibus terga celeri fuga i. celeri cursu. Combis, inquit. terga uertentibus instant Tentyrenses, qui sunt uicini umbrosae palmae i. loco abundanti palmis.

77. **labitur** i. in terram prouoluitur. hunc lapsum Tentyrenses capiunt et in frusta caesum comedunt etiam crudum. —

labitur. qui enim uelocius currit, uelocius offendit. *A*

83. **expectare focos.** expectare, ut coqueretur, uisum est nimis longum.

84. **uiolauerit** s. cadauer humanum non uiolauit ignem, quia non est igne coctum, sed crudum etiam comestum.

85. **Prometheus** factione Dianae accedens ad solis rotam ignem inde assumptum mortalibus dedit. dicit ergo se gaudere, quod illud cadauer non fuit coctum neque uiolatus est ignis per illud. *A*

86. **elemento** i. igni.

88. **hac carne** s. hominis.

89. **ne quaeras,** cum id certum fuerit.

90. **ultimus autem.** qui sero uenerunt ad comedendum cadauer, de sanguine in terram strato gustarunt.

93. **Vascones ut fama est.** isti sunt populi Hispaniae, quos consul Metellus diutissime obsedit et ad tantam perduxit inopiam, ut hominem comedere cogerentur. uerum est, inquit, illos comedisse carnes humanas, sed egestate coacti id fecerunt. hoc isti sola feritate perpetrarunt.

isti sunt populi . . . . . cogerentur. uerum quod illi nimia panis egestate coacti sunt facere, hoc isti sola feritate perpetrarunt. *A*

95. **fortunae,** inquit, deputandum est, non culpae, quod illi fame coacti hominem comederunt. *A*

---

*) *Aen. 12, 896 sqq.*

97. **quod nunc agitur** i. de quo sermo est i. de Vasconibus.

98. **modo dicta gens.** paulo ante dicta gens s. Vasconum.

102. **lacerabant** ipsi s. Vascones.

esse parati et sua. sua etiam membra comedere parati nedum sua. — nota: esse ab eo, quod est edo, es, est. *A*

104. **uiribus** i. uirtutibus Vasconum.

105. **et quibus** Vasconibus poterant parcere et manes etiam eorum, quos comedebant.

106. **sed melius nos.** dicit, quod posset obici s. quod melior est sententia stoicorum, qui dicunt non omnia esse facienda propter uitam producendam, quemadmodum est hoc s. comedere hominem, quia potius moriendum est quam edere hominem. postea respondet et dicit, quod Cantaber i. Vasconum populus non erat stoicus et Zeno.

107. **Zenonis praecepta.** ordo est: nec enim quaedam, sed omnia pro uita facienda putant. dicit namquo Zenon stoicus neminem committere scelus, si aliquid inhonestum uel turpissimum faciat pro tuenda uita. omnia enim illicita pro uita seruanda hortatur debere fieri. *A*

108. **Cantaber** enim Hispaniae populus, qui et Vascones dicuntur. hoc autem cantabrum et cantabra sunt purgamenta tritici. —

mirum tamen, inquit, non est, si nunc seruent homines praecepta philosophorum, sed ualde mirum est, quomodo Cantabri impleuerint praeceptum Zenonis, cum tempore Metelli necdum Zenon fuerit natus. *A*

Cantaber et hi Cantabri populi sunt Hispaniae, qui et Vascones dicuntur. hoc autem Cantabrum et haec cantabra et c. *A*

109. **antiqui praesertim aetate Metelli.** quomodo, inquit, poterat esse stoicus Cantaber praesertim aetate antiqui Metelli, quia nondum peruenerat ad eos philosophia, cum eos obsedit Metellus.

110. **nunc totus Graias.** antiqui Romani non didicerunt philosophiam, nunc uero et barbari Graecam Romanamque didicere disciplinam. nostras autem Athenas Romanas disciplinas dixit.

111. **Britannos.** Britanni dicti sunt a brutis quasi Brutanni, quia stolidi erant et nihil aliud nouerunt nisi frendere barbarum. Britannia, inquit, quondam barbara iam discit causas perorare.

Britanni dicti sunt quasi Brutanni *et c. A*

112. **Thyle** insula est omnium insularum nouissima, ad quam de Britannia peruenitur per mare itinere nouem dierum, ubi in solstitio aestiuali XVIII dies sunt continui sine nocte, rursum hiemali solstitio totidem sunt noctes sine die, ut Solinus refert. uiuunt ibi homines herbis et lacte et caseo et carnibus. nam uernali tempore solummodo uescuntur herbis. —

Thyle . . . . . nam uernali tempore herbis uescuntur solummodo, reliquo tempore lacte, caseo et carnibus pecorum, agriculturam autem non exercent. *A*

113. **nobilis ille tamen.** iste, inquit, populus Vasconum fuit nobilis, sed tamen maiorem perpessi sunt cladem Saguntini.

par uirtute atque fide, quia fortitudinem aequaliter seruauit et fidem. fortitudinem, quia diutissime hostibus suis restitit, fidem aeque habuit, quia Romani ad uicinos suos transire non poterant nisi per illos, unde, ne uicini sui periculum uastationis incurrerent, ipsi famis et belli periculum patiebantur. —

et par. par fuit i. e. aequalis uirtute et fide. nam virtutem habuit, quia . . . . . ad uicinos eorum . . . . . ne uicini eorum. . . . . patiebantur. *A*

114. **Saguntos**, Hispaniae ciuitas, quae tale scelus excusat s. comedendi homines, cum ipsa se praecipitauerit in ignem pro tuenda fide in Romanos.

Saguntus ciuitas fuit Hispaniae, quam obsedit Hannibal. sed Saguntini maluerunt mori quam fidem Romanis promissam uiolare, unde omnes ab Hannibale sunt interfecti. dicit ergo: Saguntus magno merito uirtutis excusat scelus uicinorum Vasconum. *A*

115. **Maeotide.** Maeotis palus Scythiae. apud Scythopolitas autem in Taurica regione ara fuit Dianae, cui homines immolabantur et maxime peregrini hospites, ubi fuit Iphigenia regi Thoanti commendata sacerdos. quo cum Orestes cum Pylade uenissent, sorore agnita sublatis inde sacris uenerunt in [ ] inde uero in Laconiam delati sunt, ubi ne ritus sacrorum uideretur praetermitti, iuuenes certabant ante aram flagra perferre. dicit autem saeuiorem fuisse Aegyptum illa ara, quia illic homines immolabantur, in Aegypto autem comedebantur.

Maeotis est palus . . . . . immolabantur, ubi fuit . . . . . sacerdos. dicit ergo saeuiorem . . . . quia hic . . . . . in Aegypto autem etiam comedebantur. *A*

118. **tantum immolat** s. homines, non etiam comedit. non comeduntur apud Maeotidem, sed immolantur tantum.

119. **grauius cultro timet hostia** s. comedi etiam.

casus s. hominis comedendi.

120. **hos** s. Aegyptios.

infecta uallo arma i. exercitus obsidione infestus.

121. **detestabile monstrum** s. uescendi carne humana.

122. **anne aliam.** sensus: facerentne aliud sacrificium, si in maxima siccitate nollet Nilus effundi, ut arua sua irrigaret. facerent aliam inuidiam i. commouerent aliam in se inuidiam maiorem quam immolare hominem nullo Nilo nolenti per arua diffundi, quasi dicat non.

Memphitide. Memphitis palus Aegypti pro ipsa Aegypto.

Memphis ciuitas est Aegypti, a qua terra Aegypti Memphitis uocatur. *A*

124. **qua nec terribiles.** ordo: uulgus imbelle et inutile Aegyptiorum saeuit hac rabie, qua nec terribiles Cimbri saeuiunt et c. exaggerat scelus Aegyptiorum. in corde eorum, inquit, aequales sunt ira et fames, quia, quod alii per famis rabiem admittere coguntur, id illi per solam iram perficiunt.

127. **fictilibus phaselis** i. constructis.

128. **pictae testae.** pictas autem nauiculas dicit in modum testae rotundas, quibus Aegytii nauigant, cum Nilus excrescit. Virgilius*): et circum pictis uehitur sua rura phaselis.

pictam testam uocat nauiculam in modum testae rotundam, qua Aegyptii per Aegyptum nauigant, cum Nilus excrescit. Virgilius: et pictis uehitur circum sua rura phaselis. *A*

131. **mollissima corda.** solis, inquit, hominibus pietas est concessa a natura et misericordia ideoque soli homines lacrimas habent et soli plorare possunt. unde iustum est, ut sociis misereantur.

---

*) *Georg. 4,289.*

solis, inquit, hominibus pietas est concessa a deo et misericordia atque ideo soli homines lacrimas habent et soli plorare possunt. unde iustum est, ut proximis per compassionem misericordiam impendant. *A*

133. **haec nostri pars.** haec s. pietas.

134. **plorare ergo iubet.** quandoquidem pietas est data nobis, ergo natura iubet nos plorare.

135. **squalorem** amici dicentis causam et squalorem rei i. accusati. et a superiori. iubet natura nos plorare pupillum uocantem ad iura circumscriptorem, hoc est fraudatorem et raptorem bonorum suorum.

136. **circumscriptorem.** circumscribere est aliquem spoliari et bonis propriis nudare. *A*

cuius manantia fletu. cuius pupilli ora incerta esse faciunt puellares capilli. nam promissos et flauos habeat capillos quasi puella, incerta est facies eius, puerine sit an puellae.

140. **et minor igne rogi.** et infans minor s.

minor igne rogi i. in cuius corpusculo rogus non inuenit, quod exurat. *A*

quis enim bonus. nullus, inquit, bonus est, si putat ulla mala esse aliena et non communia. aliter enim impius esset et non misericors.

facem autem arcanam dicit sacra Cereris arcana, quae nulli nota erant, nisi solis sacerdotibus, quae ad imitationem ipsius faces per compita gerebant.

quis enim bonus. dicit neminem esse bonum, nisi qui alienis malis compatitur. facem autem arcanam uocat sacra deorum, quia ignis perpetuus seruabatur in templis. *A*

141. **sacerdos** Cereris casta erat, quia Ceres propter filiam raptam nuptias exosas habebat. *A*

142. **hoc** s. misereri.

143. **a grege mutorum.** muta dicimus bruta animalia eo, quod loquela humana et ingenio carent, unde Graece uiuentia, hoc est zoa [ζῷα] uocantur, quia uiuunt tantum, non etiam discernunt. *A*

144. **diuinorum capaces** i. sapientiae et disciplinae.

147. **terram spectantia** s. bruta.

prona et terram spectantia. ipse situs corporum animalium docet illa esse terrena et de terrenis solummodo cogitare, nam terram omnia spectant. e contra solius hominis forma ad caelum sursum est erecta, ut doceatur semper caelestia desiderare et ea, quae dei sunt, perscrutari. hinc et Graece homo antropos dicitur i. sursum uersus. unde et Ouidius*):

cetera cum spectent pronas animalia terras,
os homini sublime dedit caelumque uidere
iussit et erectos ad sidera tollere uultus. *A*

149. **tantum animas.** inter animum et animam differentiam *facit.* anima, qua uiuitur, animus superior pars animae.

differentiam facit inter animum et animam. anima est, qua uiuimus, animus, quo sapimus, superior s. pars animae. *A*

151. **affectus** i. caritas et amor.

---

*) *Met. 1,84—86: pronaque cum spectent animalia cetera terram etc.*

151. **dispersos trahere in populum** i. in ciuitatem. nam a primordio generis humani passim uagabantur homines sicut ferae per nemora et siluas.

dispersos trahere i. homines colligere de ferina uita in ciuilem conuersationem. nam apud antiquos passim uagabantur homines sicut ferae instabiles per siluas. *A*

159. **sed iam serpentum.** natura, inquit, ita iubet, ut nos inuicem amemus. sed iam coepimus esse discordes magis quam serpentes, qui sui generis animalibus parcunt.

160. **cognatis maculis.** i. colori parcit proprio, quem recognoscit in alia fera. dicendo autem 'maculis' retulit ad serpentes, qui maculosi sunt. *A*

164. **conuenit ursis** i. concordia est.

165. **ast homini.** dicit, quod, cum soli homines debuerint pietate excellere, ipsi potius crudeles existant cupiditate nequissima illecti. *A*

166. **sarcula** a sarciendo terram dicta.

167. **marræ,** ligones ut quidam uolunt. ipsae sunt, quos uulgo uidubios dicunt.

marrae sunt instrumenta rustica et, ut quidam dicunt, ipsae sunt, quos uulgo bidubios dicimus. *A*

173. **Pythagoras.** fabam non comedebant propter uermem, qui solet in ea latere, Pythagorei etiam dicunt fabam hebetare sensum ideoque non illa uescuntur. *A*

174. **uenter indulsit non omne legumen.** cum ab omnibus animantibus abstinent, a faba etiam abstinuit propter gurguliones, quos generat. *FINIS.*

Satura XVI.

De castrensibus ad Gallum scribit*)

1. **quis numerare queat.** quidam dixerunt nanc satiram non esse Iuuenalis, sed appositam ab aliquo. sed Seruius**) uerbum illius ad exemplum adducens ostendit esse Iuuenalis, ubi dicit***) 'expectandus erit, qui litis inchoet annus' libro secundo in Aeneide scribens. laudat autem studium militiae. cum supra notauerit Augustum, qui scripserit quosdam uersus in Paridem pantomimum, qui erat Augusto gratissimus, quique damnatus quasi sub obtentu militiae in Aegyptum mitteretur, laudat tamen ipsam militiam. alloquitur autem Gallum quendam. —

quidam dixerunt hanc satiram non esse Iuuenalis, sed appositam ab aliquo. sed Seruius uersum illius in exemplum ponens ostendit esse Iuuenalis dicens 'expectandus erit, qui lites inchoet annus'. *A*

laudat hac satira studium militare poeta. cum enim notasset Augusti tempora et scripsisset quosdam uersus in Paridem pantomimum, qui erat gratissimus in aula Augusti, damnatus est et quasi sub obtentu militiae directus est cum cohorte militum tendentium ad Aegyptum, et quamuis ideo, ut damnaretur, missus sit, laudat tamen ipsam militiam. *A*

2. **nam si subeantur.** quam, inquit, sunt multa praemia, ut subeantur a me prospera castra. si enim optantis est.

5. **Veneris epistola,** quae plurimum ualet apud Martem belli deum. qui eam ardenter amauit et compressit etiam adulter factus.

quam si nos Veneris. Mars cum Venere adulterium commisit, qui deus est belli. plus, inquit, nos potest iuuare fatale beneficium ad uirtutem, quam si Venus Marti nos commendet. *A*

6. **Samia genitrix.** Iuno s., quae colitur apud Samum. nam et ipsa est regina deum et apud matrem igitur plurimum ualeret.

harena. ludis, qui fiunt in honorem eius. apud Samum insulam mater deum colitur. *A*

commoda communia i. generalia, quae sunt omnibus militibus. quorum s. commodorum, si te pulsare togatus audeat. si i. non.

---

*) de militibus, qui sunt in castris. *A*

**) *ad Aen. 2,102.*

***) *sat. 16,42.*

9. **pulsetur.** ipse s. togatus dissimulet se esse pulsatum.

10. **excussos** a milite, qui eum pulsauit.

11. **timidis liuoribus offam.** liuor proprie dicitur pallor faciei cum timore. offam uero gibbum uocat, qui contingit in facie expulsatione militis uel certe offam dicit pultem panis impositam plagae militis.

liuor proprie dicitur inflatio uulneris simul cum pallore. *A*

offam uocat gibbum, qui contingit in facie expercussione militaris manus. *A*

12. **medico nil promittente** i. desperante de curatione oculorum.

13. **Bardaicus iudex.** talis, qualis fuit Barda, qui semper commilitonibus fauebat in iudicio.

Barda fuit quidam dux militum, qui, cum causas discuteret, commilitonibus fauebat. *A*

14. **calceus.** huic militi, inquit, qui togatum percussit, est calceus. nam prae omnibus milites utuntur calceis de crudo corio factis.

calceus et grandes. calceum ponit pro ipso milite, qui solet uti peronibus, quod est genus calciamenti crudo de corio facti. similiter suras ponit pro militibus, qui magnas habent suras et praecipue pedites. *A*

grandes surae i. propter ocreas magnas.

magna ad subsellia i. ad tribunal imperatoris, ubi agitur de pulsato togato a milite.

subsellia dicuntur sedilia posita in locis, in quibus aliquid tractandum est. *A*

15. **more Camilli seruato,** qui statuit, ne causae extra uallum diffinirentur.

Camillus fuit consul a Romanis apud Sabinos in exilium missus, inde egressus insecutus est Gallos et signa Romana retulit. Virgilius*): 'referentem signa Camillum'. hic autem constituit, ut causae non extra castra diffinirentur. *A*

17. **iustissima centurionum.** ordo: igitur cognitio centurionum est iustissima de milite, qui me pulsauit.

conturiones sunt, qui praesunt cohortibus militum. cognitio autem uocatur audientia. cum, inquit, non iudex quilibet, sed ipse centuri ocausas examinet, militum iustitia ibi seruatur et [*non*] fit pauperum oppressio. *A*

18. nec deerit mihi ultio, quia iuste cognoscet centurio et animaduertet in militem. concedatur, inquit, ut centurio sit iustus iudex inter me et militem, si quis querelam meam deferat ad ipsum centurionem, sed tamen omnes commilitones me odio habebunt, et deinde apostrophat ad ipsos milites: uos curabitis, ut uindicta sit mihi grauior quam iniuria a milite accepta.

20. **tota cohors.** licet militiam laudauerit, tamen, quia satiricus est, redit ad reprehensionem. *A*

23. **corde Mutinensi** i. audacia et temeritate illius oratoris Vagelli, qui homines coram iudice insultabat, naturaliter enim cerebrosi sunt Mutinenses.

Mutina ciuitas est Italiae, de qua fuit orator Vagellus. postquam, inquit, quis militem detulerit, necesse habebit, ut orator aliquis causas dicat, quem magno pascet pretio et locabit insuper. *A*

24. **cum duo crura habeas,** quibus s. fugere possis. magnae, inquit. audaciae est sustinere impetum tot militum, cum habeas duos pedes, quibus aufugere potes.

---

*) *Aen.* 6,825.

duo crura. i. duos pedes, quibus fugere potes. uel ita. cum duo crura habeas, caligata offendere noli. *A*

caligatos uocat milites propter crepidas. crepidae autem sunt clauata militum calciamenta. unde sequitur *) 'milia clauorum'. *LA*

25. **quis tam procul absit ab urbe** i. quis ita fatuus sit, ut hi, qui semper ab urbe abfuerunt et in agris fuerunt. rustici enim sunt stultiores quam urbani.

procul ab urbe esse dicuntur fatui, quia, qui in urbibus sunt, prudentiores esse solent, e contra uillani, qui ab urbe remoti sunt, stulti. unde et urbani facundi, inurbani infacundi dicuntur. *A*

26. **quis quam Pylades.** quis, inquit, ita perfectus est amicus, ut ueniat intra molem aggeris, hoc est intra uallum ad succurrendum togato a milite oppresso.

Pylades**) dicitur stolidus et saxosus a pila. pilae enim sunt saxosa montium latera. *A*

27. **lacrimae siccentur protinus.** quando quidem non possumus uindictam in milites facere sine maximo periculo, siccemus igitur lacrimas potius quam accusare eos, si nos laeserint.

28. **nec sollicitemus amicos** i. milites alios excusaturos se i. illum militem, qui nos affecerit iniuria.

29. **da testem iudex quem dixerit.** uerba militis negantis se pulsasse togatum et postulantis, ut id teste aliquo probetur. o iudex, inquit, da i. dic testem, quem dixerit iste togatus.

audeat ille. aliquis, inquit, dicere audebit hoc: nescio quis uidit pugnos militis pulsantis, nemo autem audebit dicere.

30. **nescio quis pugnos uidit,** qui audebit dicere 'uidi', quasi dicat nullus.

qui dicere uidi. quis est, inquit, qui audeat dicere 'uidi'.

31. **et credam dignum barba et capillis maiorum.** quasi dicat nullus. capillis maiorum. seueritatem dicit eorum.

et credam i. iudicabo illum esse dignum sedere inter iudices, qui sunt barbati et longos capillos habentes et per hoc rigidi et seueri. *A*

dignum barba. barba indicium est uirilitatis et fortitudinis. *A*

dignumque capillis. antiqui ad indicandam animi seueritatem capillos intonsos et incultos habebant. *A*

32. **citius deducere.** tanta est, inquit, militum licentia, ut, cum palam iniuste agant, facilius inuenias, qui dicant eos uim passos magis quam fecisse.

33. **paganum.** paganus dicitur uillanus ab eo, quod est pagos. pagos autem [ ]. paganus dicitur uillanus ab eo, quod pagus i. uilla. uenit uero pagus ab eo, quod est pige [πηγή] i. fons, quia uillani fontibus potantur. *A*

quam uera loquentem. a superiori. quasi possis deducere loquentem uera contra fortunam armati.

35. **praemia sacramentorum.** milites iurabant falso, ut aliquid extorquerent ab togatis, et ita praemium habebant sacramenti.

---

*) sequitur *addidit A*

**) *Pylades amicus fuit Orestis, qui peregrinationem cum eo subiit ex oraculo. nam si saxum significat, py longa esset. ponitur autem pro omni perfecto amico. aliter pylades dicitur stolidus et saxosus a pila. pilae enim sunt saxosa montium latera. Vat. Vrb. 342.*

36. **conuallem ruris auiti.** ordo: expectandu serit annus, qui incohet lites, si miles manus mihi ademit campum aut si effodit sacrum saxum i. terminum de medio limite i. de confinio agri sui et mei, quod saxum mea puls annua coluit cum uetulo libo. Termino enim anniuersaria sacra faciebant maiores. libum autem plantae genus tenuissimae, quod adhibebant in sacris cum pulte.

39. **puls.** in Terminalibus pultes comedebantur. pultes autem uocat placentas, quae sunt similiter tenuissimae. *A*

40. **debitor aut sumptos.** a superiori. aut si ille debitor pergit non reddere sumptos nummos i. sibi mutuatos, pergit dico non reddere dicens chirographa superuacui ligni esse uaria, quia in chirographo, quod miles habet, minus contineatur nummorum, quam in chirographo creditoris cum suo. chirographum autem tesseram ligneam appellat, quam diuidebant in duas partes et alteram debitor seruabat partem, alteram creditor.

42. **annus litis totius populi.** Romani singulis annis lites discutiebant et singula per ordinem agebant. id autem propter multitudinem festinantium atque tumultum.

Romani cuncta omnino, quae agenda erant, per ordinem faciebant et singulis singula quaeque discutiebant. unde et litigantium causas certo anno disterminabant, qui annus litium uocabatur. *A*

43. **tum** s. cum uenerit annus litis.

44. **totiens subsellia sternuntur** i. saepius paratur tribunal praetoris ad reddendum ius, antequam pauper causam suam diffinitiuam obtineat.

45. **iam facundo ponente lucernas.** sensus: properandum est nobis summo mane ad defendendam nostram contra militem causam, eo tempore, hoc est in ortu solis, quo tempore Cecidius lucernam extinguit, postquam satis legit, et Fuscus micturit digesta crapula. nam Cecidius orator fuit studiosus, qui noctu ad lucernam legebat usque ad ortum solis. Fuscus autem ebrius erat quidam, qui somno et uino sepultus usque ad lucem dormiebat, deinde subito mictum properabat.

46. **Caedicio et Fusco.** Caedicius fuit quidam orator peritus, qui noctu ad lucernam scribebat et legebat. similiter Fuscus orator, sed ebriosus. oriente, inquit, die, cum Caedicius lucernas extinguit et Fuscus properat mictum, statim nos oratores ad locum festinamus, ubi sunt causae perorandae. *A*

47. **digredimur** domo ad causam agendam s.

lenta harena fori pugnamus i. causam nostram foro obtinemus, et est translatio ab his, qui per arenam currunt, quorum lentus est cursus.

lenta dicitur harena, quia flectitur et sub pede calcantis cedit illico. *A*

48. **ast illis, quos arma tegunt** i. militibus. nostra, inquit, causa nunquam diffinitur, sed milites e contrario quicquid uoluerint apud praetores subito obtinent.

50. **longo sufflamine litis.** sufflamen uocatur saxum uel lignum uel quicquid contra impetum currentis rotae obicitur. hoc autem loco sufflamen pro mora uel tarditate iudicii ponitur. *LA*

51. **solis praeterea testandi militibus ius.** his enim castrense peculium proprium habent. testandi i. testamenta condendi.

53. **non esse in corpore census.** hoc est non contineri in substantia peculii paterni. nam sic ordo est. placuit s. legum latoribus ea, quae sunt parta labore militiae, non esse in corpore census, cuius census pater tenet omne regimen sine folio.

3 0112 126249132

54. **ergo Corarium**. Corarius proprium militis nomen. sensus: quandoquidem, inquit, militet, habet ius condendi testamentum. aequus labor militiae prouehit hunc Corarium i. exaltat, hunc s. Corarium, quamuis pater tam tremulus captat eum. senes, inquit, et trementes parentes non possunt retinere filios, ne militent, eo quod ex militia supradicta bona consequuntur. quamuis deserat senem parentem miles, tamen sibi honor habetur.

55. **signorum comitem**. signiferum dicit.

aera castrorum i. stipendium.

57. **pulchro labori** i. militiae. ita enim Alcuinus*) militiam diffinit: 'quid est militia? ingenua et pulchra seruitus.' *A*

58. **ipsius certe ducis**. ordo: certe hoc uidetur referre i. interesse ipsius ducis, ut idem sit felicissimus, qui et fortis.

60. **laeti phaleris** i. ornamentis equorum gaudeant omnes.

phalerae sunt proprie equorum ornamenta, quae Graece ephippia dicuntur. torques autem sunt insignia. torquibus uero aureis et phaleris donabantur milites. *A*

et torquibus i. monilibus militaribus.

---

*) *disput. Pipp. cum Albino schol. II p. 354 b. (Frob.): A. Quid est miles? P. Murus imperii, timor hostium, gloriosum seruitium.*